DE

# HYDROPE ASCITE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXI. M. JULII A. MDCCCLXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**FELIX GUILELMUS SCHIEDGES**
GLADBACENSIS.

OPPONENTIBUS:
G. NOEVER, MED. ET CHIR. DD.
M. KIRCHARTZ, MED. ET CHIR. DD.
H. DIEPGEN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

SUMME VENERANDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Hydrops, i. e. abnormis fluidi serosi in corpore collectio, ad morbos frequentissimos referendus est. Causa ejus proxima in resorptione plus minus relative aut absolute diminuta cernitur. Solum secretionis augmentum per se nunquam hydropicam colluviem, certe diuturniorem, inducere valet. Imo inflammatio, potentissima secretionis adauctae causa, ut plurimum aquae collectiones non efficit, quoniam humor serosus abunde secretus resorptionis adauctae conditionem sistit, ideoque a vasis remotioribus avide resorbetur et in sanguinem concentratiorem reducitur. Modo si inflammatio cum adaucta secretione conditiones ad diminutam resorptionem necessarias simul exhibet, aquae accumulationes eo largiores atque promtiores, quo minus resorptio secretionem morbose auctam adaequat, exoriuntur. Non minus crebro aquae collectiones imminuta resorptione sine synchronico aut praegresso secretionis augmento existunt. Absorptio plane suspendi vel adeo infringi potest, ut diminuta etiam secretione praevaleat illius imminutio, itaque serosae colluvies, etsi lente et paulatim, exoriantur.

Tam physica quam chemica indole transsudata abnormia ad omnium transsudatorum serosorum similitudinem accedunt, itaque generatim cum plasmatis sanguinis indole consentiunt. Easdem continent materias, quae sanguinis liquorem intercellularem componunt, abs quo tantum quantitativis proportionibus aliquantum differunt. Altera parte alienae materiae non inveniuntur, quae de permutatione chemica substantiarum e sanguine egredientium in itinere ad loca hydropica concludi patiantur, nullae materiae, quae, ut creatinum, acidum lacticum etc. succi musculorum, vicissitudinem inter transsudatum et telas, quibuscum contactum ineunt, argumententur. Serius tamen pathologicis conditionibus mutari possunt. Principes liquoris hydropici partes constituentes sunt: natri albuminata, fibrinum, principia extractiva, salia, ita ut natri salia et chlori connubia salibus kalinis et phosphatibus praecellant.

Fluidi serosi collectio in tela conjunctoria et in variis corporis cavitatibus ab ea circumvestitis et frequentissime et formis gradibusque diversis occurrit et pro varia in corpore sede variis nominibus notatur. Quodsi exsudatum in cutis tela cellulari sedem habet, nempe in tela cellulosa subcutanea, hydrops anasarca vocatur, sin parenchymati alicujus organi (v. c. pulmonum), aut singularibus tantum cutis locis insidet, oedema, si denique in corporis cavitatibus colligitur, hydrops nuncupatur. Proinde hydrops abdominis s. hydrops ascites ἀσκός humoris

serosi accumulationem in ventris cavitate significat, quam hic disceptabimus.

## *Aetiologia.*

Hydrops ascites nunquam morbum autonomicum, sed alius morbi symptoma sistit. Conditiones evolutionem ejus efficientes eaedem sunt, quae aliis in partibus exsudata proferunt ideoque vel 1. ad pressionem lateralem adauctam in vasorum systemate generatim aut diminutum in sero sanguinis albumen, vel 2. ad locales cavi abdominalis rationes reduci possunt.

Priore in casu h. ascites cum aliis collectionibus hydropicis in aliis quoque partibus exstat saepeque hydropis universalis partem constituit. Tali modo in morbis cordis, vasorum majorum, pulmonum, sanguinis defluxum per venas aggravantibus, in morbo Brightii et nephritide crouposa (quae etiam post absolutam scarlatinam ėjus causa est), in morbis lienis, indole sanguinis serosa, sive a cachexiis aut dyscrasiis, sive a morbis diuturnis diversissimis, sive ab iniquis nutritionis conditionibus pendet, exoritur. — Altero in casu h. ascites primum nec raro unicum symptoma hydropicum exhibet; sin alia accedunt, quod serius fit, vel sequelae vel complicationes ascitae sunt, qui effectus est staseos peritonaei vasis circumscriptae. Quae quum nonnisi circulationis impedimentis in venae portarum systemate provocari possit, quippe quae sola sanguinem venarum abdominalium excipiat, fa-

cile est intellectu, h. asciten, eumque sine hydropicis symptomatibus in aliis organis, per se quasdam aegrotationes venae portarum, hepatis vasorumque ejus comitari. Proinde ascites ex obstructione et compressione venae portarum, tumoribus aut cicatricibus circa eam exortis, hepate myristicato, interstitiali hujus inflammatione, tumoribus hepatis, venae cavae stenosi supra eum locum, ubi venae hepaticae excipiuntur, nasci solet.

Denique ascites residuum praegressae peritonitidis sistit et forma hydropis fibrinosi seu lymphatici fere constanter diffusae peritonaei degenerationi, inprimis carcinomatosae et tuberculosae, supervenit.

Hydrops ascites idiopathicus, quem nonnulli post perfrigerium, transpirationis cutaneae repentinam suppressionem, remediorum drasticorum usum, tanquam peritonaei hypersecretionem se observasse referunt, certo probatus non est; haud dubie leves peritonitides, tuberculosis peritonaei similesve morbi non cognoscebantur. Si generatim ascites causis similibus provocetur, Bamberger eum nunquam solum, sed aliis cum hydropicis exsudatis conjunctum occurrere, partimque mixtionis sanguinis alterationes, partim exosmoticarum systematis capillaris rationum mutationes subesse existimat.

## *Pathologia anatomica.*

Copia humoris in peritonaei sacco collecti nunc largior nunc parcior est; modo librae paucae, modo librae

30—40 et quod excurrit, inveniuntur. In casu quodam tradito copia ejus 200 libras aequasse dicitur. Color humoris variat: nonnunquam adeo decolor est, ut plurimum autem citrinus aut viridiusculus, interdum admixto sanguine rubellus, cruentus, fuscus. Raro fluidum ex toto liquidum limpidumque est, aquae simile, plerumque admixtis epitheliis detrusis et adipose degeneratis leviter turbatum, opalescens. Pondere specifico aquam superat, spissiusculum est, digitis paulo adglutinatur et adiposi aliquid et gelatinosi habet; idem fluidum lacteum, puriforme esse et odorem nullum aut fatuum, vel foetidum edere potest. In humore, qui degenerato peritonaeo in ventris cavum effunditur, si aëri exponitur, paulatim multosque per dies praecipitata fibrinosa coagulantia oriuntur: Hydrops lymphaticus (Virchow), hydrops fibrinosus (Vogel).

Diversitas liquoris in abdomine collecti praecipue a vario ascitae charactere et ortu pendet. Si morbus fundamentalis activus, inflammatorius subest, fluidum obscurius partibusque solidis opulentius est, quam si de passivo, organico malo agitur. Chemicum examen easdem plerumque partes, quae in sanguinis sero inveniuntur, ostendit, attamen quantitates differunt. Partes principes, utpote omnibus exsudatis communes, supra tradidimus. Quandoque sanguis aut pus fortuito inveniuntur. Organorum quoque abdominalium alterationes in variis h. ascitae casibus admodum differunt, proxime enim cum conditionibus cohaerent, quarum productum ascites sistit. Saepe

degenerationis nullum vestigium deprehenditur. Ascite diutius protracto, peritonaeum totum per ambitum colore utitur opalescente, hepar, lien et reliqua viscera pallida, decoloria, omnes telae velut elotae, maceratae apparent; non raro continua aquae pressio organorum atrophiam inducit. Peritonaeum induratum, crassescens esse potest, id quod interdum ita se habere tantum videtur, si infiltratio aquosa telae cellularis subserosae locum habet. Musculi et reliqua ventris integumenta pallida, attenuata, laxa sunt; deposita inflammatoria et adglutinationes peritonaei saepe sese offerunt et termini stricti inter exsudata simplicia et leviores inflammationis gradus constitui nequeunt. Diaphragma ascite valde exquisito interdum ad tertiam vel secundam usque costam attollitur. Ut plurimum humor in cavo abdominali, et quidem infimis in locis, libere fluctuat, nonnunquam tamen spatia adsunt saccata, conglutinationibus et adhaesionibus exorta, qui hydrops saccatus vocatur; plerumque tamen hoc nomine designantur hydropes, qui ab ovariis, hepate etc. proficiscuntur et a veterioribus medicis cum h. ascite confundebantur.

## *Symptomata.*

Hydropis ascitae diffusi symptomata distribui possunt 1. in localia objectiva, 2. in localia subjectiva, 3. in consensualia et universalia.

Inter objectiva localia prae omnibus ventris expansio et singularis formae ejus mutatio in oculos incurrunt.

Expansio ab inferiore versus superiorem partem sensim per totum abdominis ambitum accrescit, nisi adhaesiones adsunt, quae humoris adscensum prohibent. Quamdiu accumulatio majorem gradum nondum obtinuit, forma ventris vario corporis situ mutatur, fluidum enim semper locum maxime declivem petit. Si stantem exploramus aegrotum, inferius ventris dimidium, hypogastrium, convexum apparet, sin eum recumbere jubemus, abdomen maxime latum cernitur et ovale transversum repraesentat; regione sacra inter situm lateralem aliquantum elevata, abdominis asymmetria oritur, nimirum declive ejus latus multo magis prominet. Sin exsudati moles ingens adest, ventris extensio perampla, aequabilior et quocunque situ eadem est. Costae inferiores perspicue prominent magisque fornicantur, costae spuriae extrorsum adiguntur. Quo magis integumenta abdominis attenuantur et diaphana fiunt, eo magis venae cutaneae ejus retia crassa, coerulea aut violacea, evidenter exhibent; venae jugulares adeo tumescere et facies colorem cyanoticum induere possunt. Umbilicus explanatur, plerumque autem prominet, distantia ejus a processu xiphoideo augetur. Tela corii diducta passim rumpitur, unde striae albo-coerulescentes, cicatricosae, quales inter graviditatem abdomine valde extenso observari solent, oriuntur. Cutis abdominis aquae pressione nitida redditur ac defurfuratur.

Si solus ascites exstat, inter reliqui corporis maciem et enormem ventris expansionem magna disproportio locum habet. Interdum pressione, quam humor in vasa, venam cavam et venas iliacas exserit, oedema artuum inferiorum, deinde hydropicae infiltrationes scroti, labiorum pudendi, integumentorum abdominalium etc. efficiuntur, vaginae fornix deorsum adigitur, uterus, hepar et lien dislocantur.

Humoris in ventre collectio fluctuatione se manifestat, quam percipimus, si, facie volari alterutrius manus explorandae regioni imposita, digito extremo vel uno vel pluribus alterius manus in adverso abdominis latere locatis repentinam instituimus concussionem, quae velut motus undulantis sensatio cum manus impositae vola communicatur. Si larga est fluidi copia, ut plurimum hoc symptoma maxime perspicuum invenitur, ineunte autém morbo, ubi copia parca est, serum per pelvim et regionem lumbarem ita distribui potest, ut sine certis artificiis non cognoscatur. His in casibus optime sentitur fluctuatio, si aeger, regione sacra paulo elevata, in alterutrum latus decumbere jubetur, quo facto humor in regionem iliacam aut lumbarem immittitur; praeterea cutem aliquantum tendi et percussionem quam proxime a manus palma imposita fieri necesse est. Nonnunquam aeger ipse, corpore in alterum latus celeriter converso, fluctuationem percipit, quod partim a fluido partim ab intestinis locum mutantibus pendere potest. Ceterum caveamus, ne fluctuationis sensu decipiamur, interdum enim

hydrops anasarca aut intestina in molem concreta fluctuationis sensum imitantur. Aliis in casibus, humore largiter accumulato, fluctuatio deficere aut imperspicua esse potest, si fluidum parvis spatiis inter gyros intestinales circumcluditur, aut si intestina gasis expansa, aut ventris tegumenta valde relaxata sunt. Susurrum hydatideum (Piorry) pro fluctuatione admodum exquisita habendum, neque cum hydatidibus (Echinococci saccis) commercii aliquid habere, Bamberger recte adnotare videtur, nam ubique observatur, ubi fluidum admodum mobile parietibus tensis, elasticis (membranis) cingitur, imo in ascite (ut in cystis oaricis) frequentius quam in veris echinococci saccis animadvertitur. Plessimetrum in ascite sonum vacuum in ea abdominis regione reddit, ubi fluidum subter plessimetro exstat. Non erecto tantum corpore percussionem instituere expedit, quia ventris integumenta valde tenduntur et sonus maxime obfuscatur, etiamsi abdomen nihil fluidi continet. Si aeger supinus recumbit, humor ad ventris latera demittitur gyrique intestinalis super eum ad anteriorem abdominis faciem emergunt, quare percussio antice tympaniticum, in lateribus vacuum sonum reddit. Si exsudatum in ventre saccatum non est, humor et extensio atque localisatio soni percussorii vacui ei respondentis situm mutat, nam sonus ille semper in loco maxime declivi observatur. Saepe portiones intestinales sonum tympaniticum edentes plessimetro fortius appresso dimovendae sunt, ut sonus vacuus audiatur. Ut fluidi

dislocationem ex mutato coporis situ plessimetri ope certius cognoscamus, minutae aliquot post mutatum aegroti situm praetermittendae sunt, antequam iterum percutimus, quoniam aliquo tempore opus est, ut humor ab uno loco ad alterum cedat. Nunquam a re alienum est, hanc explorandi methodum, qua mediocris fluidi collectio jam cognosci potest, variis corporis positionibus et repetitis vicibus adhiberi.

Symptomata localia subjectiva, si ascites ad hydropem universalem accedit, cum reliquis comparata plerumque initio tam exigua sunt, ut aegrotorum attentionem ad asciten haud advertant. Alia rei ratio est, si ascites circulationis alterationes in vena portarum aut peritonaei degenerationes sequitur. Ineunte enim occulta hepatis cirrhosi aut carcinomate peritonaeali, molestiae paulatim accrescentes, quas infert ascites, primas anomalias sistere possunt, quae animadvertuntur et de morbo fundamentali concludi patiuntur. Quamdiu humoris copia modica est, dolorem non provocat, nisi topicae inflammationes ascitae supervenerunt. Aegroti ventris plenitudinem conqueruntur, vestibus prius commodis offenduntur alteque inspirantes leve impedimentum sentiunt. Augescente abdominis impletione, plenitudinis sensus ad tensionem dolorificam evehitur et leve respirationis impedimentum diaphragmate adscendente in gravem dyspnoeam, imo suffocatoriam affectionem mutatur, quae aegrotum a situ horizontali prohibet et erecto uti cogit. Pressio, quam

liquor in rectum exserit, alvi obstipationem et gasorum collectionem in intestinis magnam inducere potest, quae tam alvi obstipatione quam parietum intestinalium relaxatione et serosa infiltratione adjuvatur, nec mediocriter ad augendam dyspnoeam confert. Ventriculi compressione per consensum digestionis anomaliae, saepe ingestorum vomitio, oriuntur. Plerisque in casibus alimentorum assumtorum resorptio male procedit, crebrius etiam vesica urinaria latius sese extendere nequit, aegroti mingendi cupiditate laborant, sed exiguae lotii portiones una vice redduntur.

Secretiones et excretiones generatim diminutae sunt: cutis sicca et rigida, alvus adstricta, attamen complicati intestinorum morbi interdum diarrhoeas, praecipue sub morbi finem, efficiunt. Urina pro ascitae indole et origine variare potest. Ut plurimum parca est, saturata, intense flava aut flavo-rubella, quandoque larga cum hypostasi. Plerumque fluidi pressione, quam renes eorumque vasa experiuntur, diuresis diminuitur. Veteres jam putabant, diuretica efficacitate destituta, si paracentesis abdominis instituatur, eandem nonnunquam recuperare. Quae sententia perversae interpretationi rei in facto positae innititur, qua edocemur, accedentem asciten secretionis urinae impedimento in renibus aegrotantibus novum addere, quo sublato secretionis perturbatio minor fiat. Ut plurimum omnes secretiones inversam cum ascite proportionem alunt, quo magis illae augentur, eo magis

hic decrescit. Sudoribus spontaneis aut remediorum usum sequentibus, uberiore diuresi et alvo liquida semper fere perspicuum ascitae decrementum efficitur. Febris, functionum cerebralium alteratio aliaque symptomata morbosa nunquam ab ascite pendent, sed a morbis, qui huic subsunt. Pulsus parvus esse solet, nonnunquam intermittens et irregularis; interdum cordis palpitationes et lipothymiae oriuntur. Ascite laborantes maximam partem pallore cutis lurido, pallore labiorum etc. insigniuntur; animus eorum ad apathiam vergit.

## *Morbi decursus et exitus.*

Ascites ut plurimum chronicus est saepeque multos per annos protrahitur, attamen pro varia causa efficiente humor per brevius longiusve tempus organis secretoriis naturalibus, sine singularibus symptomatibus, e corpore eliminari potest, e. gr. renibus, alvo liquida, raro cutis sudore, rarius glandulis salivalibus. Nonnunquam resorptio intra aliquot dies, vel citius, perficitur et fluidum critico quodam motu, lotio copioso, diarrhoeis largis, sudoribus profusis, ex abdomine expellitur. Bamberger nonnullos evulgavit casus, quibus ascites exquisitus accedente cholera paucos intra dies evanescebat. Ventris expansione ad summum gradum provecta, nonnunquam extenuatus integumentorum locus, inprimis umbilicus, vesicae instar prominens et ulceratus, rumpi ventrisque contenta evacuari possunt. Ut plurimum tamen humor

serius ocius denuo colligitur, praecipue si rapidius effluxit. Spontaneae evacuationes ita etiam evenisse dicuntur, ut communicatio inter intestinum cavumque abdominis oriretur et aqua per illud secederet. Teste J. P. Frank denique serum ad telam cellularem genitalium externorum iter sibi aperire et scarificatis hisce partibus effundi potest. Proclivitas ad recidivas autem semper magna restat. Non raro etiam, si fluidum aut resorptione aut alio modo removetur, praegressis peritonaei inflammationibus adhaesiones gyrorum intestinalium vel viscerum abdominalium oriuntur, quae constantes digestionis et excretionis alvi anomalias relinquunt. Nonnunquam enormi aquae colluvie peritonaeum extendente inflammatoriae hujus irritationes provocantur, quae solita symptomata proferunt exitumque lethalem interdum inducunt.

Aliis in casibus fluidum celeriter resorbetur, colatoriis autem naturalibus aut recens formatis non eliminatur, sed alio in cavo, e. gr. in arachnoidea, thoracis cavitate, deponitur, quae metastases semper fere lethiferae sunt.

Ascites tantum, si peramplus est, eo periculum infert, quod ad pleuram et pericardium protenditur et suffocationem, viscerum abdominalium paralysin, peritonaei vel alius organi inflammationem, partium externarum paralysin, apoplexiam provocat; interdum febrem hecticam aut icterum producit.

Latex effusus, qui tandem ad decompositionem vergit et decomponentem vim quoque in viscera abdominalia

exserit, venis absorbetur febremque torpidam, erysipelas extremitatum et genitalium, facile gangraenescens, excitat. Decubitu et colliquativis diarrhoeis exortis, aeger deliriis aut comate oppressus inanitione perire potest.

## *Prognosis.*

Omnium fere ascite laborantium vita graviter periclitatur. Praedictio autem minus infausta est propter asciten, quam propter morborum, qui subsunt, insanabilitatem. Plerique aegrotorum non ascitae, sed morbo fundamentali succumbunt. Ascites, etiamsi depellitur aut diminuitur, mox revertitur, vel morbus primitivus antea lethiferum exitum inducit. Prognosis pendet:

1. ab aetate et reliquo statu aegroti valetudinario. Individua juniora, prius sana, laetius admittunt augurium quam seniora morbisque confecta; potatores magno premuntur periculo.

2. Ab originis modo et charactere hydropis. Ascites inflammatorius et exanthemata acuta secutus relative faustius praesagium exhibet, si constitutio aegroti non nimis exhausta est morbusque tempestive sufficiente antiphlogosi impugnatur. Ne asthenici quidem ascitae prognosis semper mala est, si gradum majorem ille nondum obtinuit et cum aquosa sanguinis indole (e prava vitae ratione, chlorosi, febri intermittente, morbis gravioribus exantlatis etc.) localis affectio periculosa conjuncta non est. Pessimus ascites organicus est, paucis tamen casi-

bus exceptis, v. c. si a placenta febrili pendet. Ascites inhibito circuitu venoso productus mali ominis est.

3. A secretionum restrictione et complicationibus cum hydrothorace, hydropericardio etc. — Quod ad morbi decursum mali ominis sunt: urina parca, saturata, foetida, cutis color ictericus, ventris dolores, vomitus, diarrhoea, tussis, aphthae, erysipelas extremitatum cum phlyctaenis, febris cum viscerum abdominalium degeneratione, pulsus celerrimus, parvus, intermittens, sopor, deliria, humoris detracti indoles fusca, cruenta, foetida. Nunquam sanatum existimes asciten, quamdiu cutis sicca et digestio labefacta est.

## *Diagnosis.*

Diagnosis ascitae ipsius, reputatis omnibus ejus symptomatibus, facillima est; interdum tamen non solum minores, sed etiam majores fluidi quantitates difficulter cognoscuntur. Exiguae quantitates saepe explorantem omnino fugiunt, quia fluidum in pelvim minorem demittitur; imo si aegrotum, regione sacra elevatiore, in latus decumbere jubemus, vel explorationem positione genucubitali facimus, nonnunquam errorem diagnosticum committimus. Confundi poterit ascites cum tympanite, cum aquae abundantia in gyris intestinalibus, cum hydroario, graviditate uterina, magna vesicae urinariae expansione, hydrometra, aliis uteri morbis.

Criteria ad differentialem diagnosin spectantia haec sunt.

1. In tympanite sonus percussorius superne et inferne omnibus in locis clarus, tympaniticus, magis interdum in hoc quam in illo latere, auditur. Mutato situ, soni tympanitici neque natura neque locus mutatur. Abdomen minus grave est quam in ascite ejusque intumescentia tam situ supino quam erecto corpore aequabiliter globosa manet. Fluctuatio nec non pedum oedema deficiunt; diuresis vel nihil vel parum diminuta, urina clara est. — In ascite altiora abdominis loca percussionis sonum tympaniticum, inferiora plus minus vacuum reddunt, locus soni percussorii mutato corporis situ mutatur. Loca ventris declivia maxime prominent, ut latus magis quam globosus appareat. Semper fere fluctuatio observatur, saepe anasarca adest. Urina parca mittitur, ut plurimum fusca et turbida.

2. Larga humoris collectio in omnibus gyris intestinalibus primo quidem obtutu pro ascite potest haberi, quoniam in toto fere abdomine sonus obtusus et fluctuatio evidens observatur; accuratiore autem exploratione mox ex eo, quod diarrhoeae accumulationem humoris antecesserunt, et crebris e strepitibus gargarizantibus apparebit, fluidum tubo intestinali includi.

3. In hydroario intumescentia ab alterutro inguine orditur et non aequabiliter totum per abdomen expanditur, sed in alterutra regione inguinali amplior est,

ceteroquin circumscripta, saepe limitibus strictissimis. Fluctuatio vel plane nulla, vel multo minus perspicua est. Symptomata hydropica universalia initio absunt, valetudo universa essentialiter turbata non est, diuresis haud diminuta, oedemata pedis et cruris modo latus tumori respondens tenent. Purgantia et diuretica tumescentiam non mutant. Humor punctione fere nunquam evacuatur, saepe enim exigua tantum portio laticis viscidi, gelatinosi effluit et corpus duriusculum remanet. — In ascite tumor aequabilis ab inferiore ad superiorem partem assurgit, circumscriptus non est, fluctuationem perspicuam offert. Valetudo universa ab exordio turbata apparet, urina parca mingitur, intumescentia nonnunquam purgantibus et diureticis remediis cedit. Facta paracentesi, omnis humor effunditur. Criterium denique certissimum vicissitudo est soni percussorii, mutatum aegroti ascite laborantis situm excipiens; in hydroario soni illius locus semper idem est. Verumtamen peramplis ovarii cystis pariter ac ascite valde diffuso sonus vacuus totum per abdomen expandi potest. Bamberger ejusmodi in casibus etiam regionem lateralem extremam inter cristam ossis ilium et costam duodecimam explorari suadet, ubi, licet cystae oaricae permagnae sint, sonus percussorius plenus et clarus intestini crassi adscendentis et descendentis plerumque percipiatur, in ascite autem ibidem vacuus inveniatur. Concedit tamen, hoc quoque criterium perinde ac explorationem per vaginam et rectum interdum nos deserere. Quod si fit, accurato

aegrotantis examine debitam anamnesin erui et momenta aetiologica inde redundantia perpendi oportet. Conditiones, quibus hydroarium efficitur, satis obscurae sunt, etenim apud feminas sanas, quae videntur, sine complicatione cum aliis morbis non raro occurrit. Quodsi igitur confirmari potest, nullam earum anomaliarum mixtionis aut distributionis sanguinis, quas retulimus, humoris accumulationem in ventre antecessisse, et si peritonaei degeneratio excludenda est, ambiguis in casibus hydroarii diagnosis probabilis redditur. Exempla obveniunt, in quibus physica exploratio nihil lucis affert, anamnesis nihil illustrat et punctione demum vera rei natura intelligitur. Similibus difficultatibus interdum premitur diagnosis, si cum cysta oarica magna simul ascites exstat.

4. In hydrometra fluctuatio imperspicua est, tumor hypogastrio circumscribitur et in inguina non assurgit. Aegrota pressionem sentit in recto, vesica, pelvi inferiore. Exploratio per vaginam interdum portionis vaginalis fluctuationem indicat; menstruatio deficit. — In ascite fluctuatio perspicua est, tumor hypogastrio non limitatur situque vario corporis locum formamque mutat. Plenitudinis sensus totum per abdomen aequabiliter extenditur. Exploratio per vaginam nihil anomali praebet; catamenia persistunt.

5. In graviditate abdomen regulariter certoque ordine amplificatur, fluctuatio nunquam adest: uterus supra symphysin assurgens tumorem exhibet resistentem. Interna ex-

ploratione mutationes solitae portionis vaginalis et uteri, fortasse etiam infantis pars praevia, inveniuntur. Auscultando uterum gravidum intumescentia strepitus uterinos et cordis foetalis sonos audiri patitur, nisi foetus emortuus est. Mammae tument, papillae earum colorem fusciorem quam extra graviditatem ostendunt, menses deficiunt. — Ascitae tumor certo tempori non adstringitur et fluctuatio perspicua est, omnia alia graviditatis signa desiderantur. Adnotandum etiam est, mulieres hydropicas, inprimis ineunte ascite, facile concipere alteraque parte gravidas sine causa manifesta ascitae submitti posse, quo facto diagnosis difficilior redditur: venter immensam obtinet amplitudinem, dyspnoea ad suffocationem usque evehi potest, ita ut paracentesis indicetur. Graviditas cum ascite conjuncta anamnesi dilucidatur.

6. Magna vesicae urinariae amplificatio tumorem exhibet magis piriformem supra symphysin pubis et sonus percussionis vacuus limite arcuato in pariete ventris anteriore terminatur situque mutato vel parum vel nihil mutatur. Urina aut parca aut nulla mittitur, quae editur, non qualitative mutata apparet, ut in ascite. Alia hydropsiae symptomata desunt. Comparatis ascitae symptomatibus, diagnosis facilis est. Ambiguis in casibus catheter applicandus est, quo, abdomine leviter presso, urina larga evacuatur et venter collabitur, in ascite tumor, vesica vacuefacta, idem manet.

Ascite per explorationem cognito, causa ejus inda-

ganda est. Ascites, hydropsiae universalis pars, nunquam primum symptoma constituit. Si igitur individuo supervenit, quod oedemate destituitur, vel ab hepatis aut venae portarum morbo, vel a peritonaei degeneratione pendet. Contrario in casu attentio morbis renum, cordis, vasorum majorum, pulmonum, lienis, sanguinis indoli morbisque iis impendenda est, qui sanguinem hydraemicum reddunt. Saepenumero praeter iniquas vitae conditiones aut atheromatosam arteriarum degenerationem nulla morbi causa demonstrari potest.

## *Therapia.*

In curando h. ascite prae omnibus indicationi causali satisfacere studeamus, nam therapia morbo fundamentali consentanea interdum sola ad asciten diminuendum vel adeo depellendum sufficit. Certo momento aetiologico non invento, agenda sunt, quibus proxime opus est. Secretiones suppressae restituantur, exanthematum acutorum aut chronicorum metastases balneis calidis sinapinis, kalinis, vaporariis, infrictionibus irritantibus, ut unguento tartari stibiati, vesicantibus, interne diaphoreticis, guajaco, sulfure, antimonialibus, dulcamara, sarsaparilla, decoctis lignorum, camphora etc. curentur. Suppressi pedum et axillarum sudores eadem reposcunt. Arthriticae et rheumaticae affectiones remedia his dyscrasiis respondentia: antimonialia, jodum, colchicum, aconitum, mercur. sublimatum, acidum citricum etc. exigunt. Sanguinis pro-

fluvia revulsoriis sanguinis detractionibus, nisi aegroti asthenia hoc vetat, menses et haemorrhoides pellentibus restituantur. Ascites ipse pro indole sua vario modo curandus est. Qui si activus, sthenicus est (ascit. calidus), e. gr. hydrops acutus Brightii, ab inflammatione haud procul distat, imo nonnunquam cum inflammatoria peritonaei affectione conjunctus est, itaque antiphlogosin haud secus ac inflammationes generatim proxime requirit, nempe sanguinis detractiones universales et topicas, quae signis inflammatoriis localibus adaptandae sunt, quae minus pulsuum frequentia quam duritie manifestantur. His in casibus, praecipue si ascites exanthemata febrilia excepit, non raro sanguinis detractiones solae ad eum depellendum sufficiunt, quia secretiones expeditiores evadunt et latex resorbetur. Ascite suppressam cutis actionem secuto, sanguinis detractionum effectus calidis balneis, affusionibus, interno pulveris Doweri et antimonialium usu, interdum largiore emetici usu adjuvandus est. Etiam cataplasmata, fomenta, revulsoria, enemata, infrictiones oleosae prosunt. Interne potissimum mercurialia, salia media, calomelas cum digitali, vel haec sola, vel scilla et purgantia frigida adhibentur. Diaeta huic curationi respondeat, quare omnia excitantia et calefacientia vitentur. Nonnunquam diaeta lactea, exclusis aliis nutrimentis, egregiam utilitatem praestat.

Sin h. ascites passivus, asthenicus est, quae forma chronico decursu insignis longe frequentissima esse solet

(ascites atonicus, frigidus), antiphlogosis nocet; praeter evacuantia potius tonica, stimulantia adhibenda sunt, interne amara, china, ferri et jodi praeparata cum levioribus aromaticis, externe infrictiones balsamicae, balnea. His remediis ea possunt adjungi, quae in renes et intestina agunt, multaque hujusmodi connubia, e. gr. pilulae Bacheri

Rp. Extract. Helleb. nigri
« Myrrhae $\overline{aa}$ ℥j
Hb. Cardui bened. pulv. q. s.
ut f. Pilul. pond. gr. j
Pilulae 3 — 5 — 6 sumantur

effectus hydragogi causa adhuc celebrantur.

Diaeta et regimen pro aegroti viribus et morbi diuturnitate nutrientia, imo roborantia esse debent: juscula carnis, carnes ipsae, potus vinosus, domicilium praeterea salubre. Errant, qui potu largo asciten augeri contendant, nam, ut prius jam Cullen et nuper Boeker demonstrarunt, potio copiosa aquae frigidae effectum saluberrimum eo praestat, quod corporis secretiones et resorptionem adauget. Bamberger larga aqua potione data et sudore, involutionibus laneis provocato, aliquoties ascitae decrementum se effecisse affirmat.

Nunquam fere ascites vitia cordis organica, venarum majorum obliterationem, morbum Brightii longius provectum secutus sanatur. Acquiescere debemus in curatione palliativa, aegrotum nempe sublevantes et malignas ascitae sequelas prohibentes. Si ascites febri intermittenti,

morbo Brightii recentiori, chlorosi, anaemiae, convalescentiae e morbis gravioribus supervenit et inprimis a prava sanguinis crasi pendet, therapia morbo fundamentali adaptata eumque diminuens saepe plurimum opitulatur, multis saltem in exemplis plus praestat, quam methodicus hydragogorum usus.

Indicatio morbi fluidum in ventre collectum eliminari jubet, quare directa curatio in eo est, ut secretiones remediis diureticis, purgantibus, diaphoreticis incitentur, vel humor paracentesi evacuetur.

Diuretica plerisque in exemplis tentari possunt, quia efficasissima sunt, corpus minus offendunt fluidumque eo itinere expellunt, quo natura ad eliminandos humores serosos maxime utitur. Statu autem organorum uropoëticorum hyperaemico vel inflammatorio, si e. gr. largiores urinae portiones sponte sine levamine redduntur, diuretica nocent. Hydraemici non diu diuretica ferunt debilitantia, quare tonica iis adjungenda sunt. Singula remedia aegrotantium conditioni adaptari oportet. Providentiam requirunt diuretica acria, excitantia: digitalis, scilla, colchicum, cantharides; organis tantum uropoëticis torpidis respondent. Si febris, erethismus vasorum, digestio turbata, stases in ventris visceribus, irritatio tubi intestinalis, diarrhoeae vel ad has proclivitas, vomitus adsunt, nocere potius quam prodesse solent. Wendt scillae doses sensim auctas (a grano inde dimidio, quae dosis quotidie grano dimidio augetur), donec larga apparet diuresis,

collaudat. Vomituritione, vomitu etc. accedentibus, dosis diminuitur, aut remedium seponitur. Aptissima diuretica vegetabilia leviora sunt: baccae juniperi, rad. ononidis, caincae, herba ballotae lanatae, baccae spinae cervinae, hb. petroselini, folia uvae ursi, equisetum arvense, armoracia, e salinorum numero: nitrum, cremor tartari, kali tartaricum, tart. boraxatus, liquor kali acetici, exiguae doses kalii jodati, spiritus aetheris nitrosi, aquae minerales acidulae. Externe adhibita diuretica nunquam fere prosunt, attamen unguentum juniperi cum tinctura digitalis, oleo terebinthinae etc. tentari potest. Quanquam purgantia multis a medicis laudantur et adhibentur, generatim tamen incerta, imo nonnunquam periculosa sunt, quoniam facile catarrhos intestinales, exsudationes crouposas et oedema tunicae mucosae proferunt, quibus mors saepe inducitur. Purgantium usus modo defendi potest, si individua adhuc valida sunt, nec gravior affectio tunicae mucosae ventriculi aut intestinorum, nec alvi obstipatio locum habent, et si actionis renum incitatio aliqua de causa supervacua est. Quamprimum vires gravius labefactantur, aut irritationis intestinalis symptomata animadvertuntur, statim seponenda sunt. Drasticorum fortissima in ascite praeberi solent: elaterium, bryonia, gummi gutti, colocynthis, scammonium, gratiola, oleum Crotonis. Pilularum ex his compositarum maxime laudari solent Hufelandianae:

Rp. Pulv. rad. scillae
« folior digitalis āā ℈j
« cortic. cinnamomi ʒjß
Extract. Helenii q. s. ut f. Pilul. No. 60.

Ter per diem pilulae 2—3 dentur numerusque ad sex paulatim augeatur.

Neque minus Heimianae:

Rp. Gummi gutti
Folior. digitalis
Stibii sulfur. aurantiaci
Extracti pimpinell. āā ℈ij
F. pilulae ponderis gran. 2.
Alternis vel ternis horis pil. sumatur una et numerus paulatim augeatur.

Haud minus apte vero purgantia blandiora: rheum, jalapa, senna, salia laxantia kali, natri, magnesiae et aquae minerales alvum solventes in usum vocari possunt. Diaphoretica paucis casibus respondent, e. gr. hydropi repentinam cutis functionem suppressam secuto, vel hydropi Brightii, in quibus nec diuretica nec purgantia adhibenda sunt. In universum parum prosunt; diuturna diaphoresis aegrum debilitat, nec raro febricitationes provocat. Ad eliciendum sudorem, corpus pannis laneis siccis aut linteis ex aqua frigida expressis (Priessnitz) involvi, balnea calida aquosa, spirituosa, vaporosa adhiberi, interne parvae doses pulv. Doweri aut tartari stibiati, praeterea spiritus Mindereri, stipites dulcamarae, infusa specierum diaphoreticarum praeberi possunt. Quum harum methodorum usus diutius continuari non debeat, interdum

altera post alteram deinceps exsequendae et, si earum effectus irriti sunt, magnusque ascitae gradus vomitum, respirationis et digestionis alterationes etc. excitat, non raro paracentesi fluidum eliminandum est. Verumtamen haec operatio palliativa est, sive per breve tantum tempus hydrope liberat, humoris accumulatio mox revertitur.

Paucis tantum in casibus adhaesione inflammatoria late patente nova collectio arcebatur. Paracentesis semper fere periculo vacat, raro inflammatione pseuderysipelatosa circa puncturam orta, praecipue si ventris integumenta oedematosa sunt aut hydrops Brightii adest, et subsequente peritonitide vita periclitatur. Quanquam leve periculum certusque paracentesis eventus eam tuentur, tamen omittendum non est, non aquam sed albuminis solutionem ex abdomine auferri repetitisque evacuationibus vires et sanguinis massam celeriter consumi. Exemplum a Cann traditum, quo aeger 886 vicibus paracentesi submittebatur, non modo inter rarissima pertinet, sed fortasse solitarium est, nec prius operationem administrari jubet, quam respirationis impedimentum aut cutis gangraena imminens vitam praesenti periculo submittat. Paracentesis acu triquetra (cum cannula), aptissime per umbilicum, ubi cutis tenuissima est, instituitur. Postquam percussio nobis persuasit, gyrum intestinalem haud praejacere, acus triquetra intruditur et fluidum per cannulam emittitur. Si ascites gravis et diuturnus est, detractio per intervalla fieri debet, alias enim, compressione ventris viscerum nimis

celeriter diminuta, lipothymiae periculosae et dyspnoea vehemens oriri possunt. Modica ventris compressio tam inter quam post fluidi effusionem idonea est. Injectiones irritantes post operationem vituperandae sunt, magis nonnunquam id probari posset, quod Baudens proposuit, qui relicta cannula aperturam fistularem institui jubet. Intercurrentes peritonaei inflammationes, plerumque leviores, maximam partem fomentis calidis et remediis narcoticis cedunt. Symptomata morbosa concomitantia symptomaticam curationem exigunt. In hydrope saccato interna medicamenta nihil auxilii afferunt, nihil ergo superest, quam ut humor collectus, sicut in aliis cystis intra peritonaei cavum positis, punctione auferatur.

# VITA.

Natus sum Felix Guilelmus Schiedges Gladbaci, oppido Rhenano, die XXVIII mensis Martii MDCCCXXXVII patre Matthia, matre Catharina, e gente Montz, quos adhuc superstites esse Deo gratias ago quam maximas. Fidem profiteor catholicam.

Primis literarum elementis domi imbutus urbis patriae progymnasium, quod adhuc Reverendissimo dir. Hoeges floret, deinde gymnasium Novesiense per annum integrum atque gymnasium Coloniense catholicum ad Marcellas, quod auspiciis cl. Ditges floret, triennium frequentavi. Autumnali tempore anni h. s. LVIII testimonio maturitatis academicae instructus, almam literarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam adii et ab Ill. Jahn, rectore Magnifico, inter cives academicos re-

ceptus, in album medicum ab Ill. Busch relatus, quatuor per semestria scholis interfui virorum Clarissimorum:

Albers, Bergemann, Bischoff, Busch, v. Calker, Knoodt, Noeggerath, Pflueger, Pluecker, Schaaffhausen, M. Schultze, Treviranus, Troschel, de la Valette, M. J. Weber, Wutzer.

Inde ad universitatem literariam Herbipolitanam, tum rectore Magnifico Ill. Scherer florentem, me contuli, ubi duo semestria praeceptores mihi fuerunt viri Clarissimi, Illustrissimi:

Bamberger, Dehler, v. Franque, Gerhardt, Linhardt, v. Marcus; H. Mueller, Rinecker, v. Scanzoni, Scherer, Textor.

Anno h. s. LXI almam petii universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem et ab Ill. Magnus, t. t. rectore Magnifico, civium academicorum numero adscriptus, Ill. Reichert, t. t. gratiosi medicorum ordinis decano spectatissimo, nomen dedi. Qua in literarum universitate hosce viros Illustrissimos, Celeberrimos, Experientissimos disserentes audivi:

v. Baerensprung, Casper, Frerichs, B. Langenbeck, Martin, Reichert, Romberg, Schoeller, Traube, Virchow.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione scripta thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

# THESES.

1. Virus syphiliticum duplex est.
2. Lithotomiarum, si calculus magnus est, sectio hypogastrica s. alta praeferenda est.
3. In spondylarthrocace ferrum candens plurimum valet.
4. Ad partum praematurum provocandum velamentorum ovi punctio methodus est optima.